

habitâtes terram: quod per Apostolos suos fecit, siquidem, in omnem terram exiuit sonus eorum. Dicitur autem hoc loco Dominus esse Deus Deorum, vt intelligamus, Christum esse Deum verum, veri Dei filium, qui eandem cum Patre diuinitatem habet: vna enim, & sola esse potest vera diuinitas. multi autem sunt Dii, vel per errorem, & extimationem, vt Dii gentium, qui Dæmonia sunt, vt dicitur in Psalmo 95. vel per gratiam adoptionis, vt sancti Angeli, & sancti homines; vel per similitudinem, vt Principes, & Iudices terræ. Sed omnes isti Dii subiecti sunt vni, & soli Deo vero, qui ideò dicitur Deus Deorum. Ex hebræo S. Hieronymus vertit, Fortis Deus Dominus locutus est; sed voces hebraicæ vtramque versionem patiuntur, & sensus vtriusque lectionis est verus, ad propositum rerum dicendarum. Nam si respiciamus primum aduentum, Christus Dominus Deum Deorum se ostendit, cum terribilis fuerit Dæmonibus, qui sunt Dii gentium; & ipse per adoptionis gratiâ multos fecerit Deos: & ipse idem fortis Deus fuit, cum hostem generis humani per crucem deuicerit, & vasa eius diripuerit. Si respiciamus secundum aduentum, Deus Deorum rectissimè dicitur, quoniam Iudex Iudicum omnium erit; nec minus propriè conueniet ei titulus fortis Dei, cum diabolum, & omnes affectas eius, siue dæmones, siue homines in gehēnam verbo detrueret, & vectibus sempiternis portas inferni claudet. Ait igitur, Deus Deorum Dominus locutus est, id est, Dominus Christus, qui est Deus Deorum in hunc mundum adueniens, locutus est verba Euangelii sui. Et vocauit terram, id est, & ad sermones suos audiendos, terram vniuersam conuocauit, dicens, Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos, Matth. 11.

II. A Solis ortu vsque ad occasum: ex Sion species decoris eius.

Declarat se per terram, non intellexisse terram Palestinæ, vel aliquam aliam particularem, sed omnem omnino terram: &

simul explicat locum, vnde Dominus loqui cœperit. Cœpit enim ex Sion, siue ex Hierusalem, iuxta illud Isaïæ 2. de Sion exibit lex, & verbum Domini de Hierusalem. & illud Luc. vlt. Oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius penitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Hierosylima. A Solis ortu, inquit, vsque ad occasum, vocauit terram, id est, omnes homines, qui habitant terram à principio vbi Sol oritur, vsque ad finem, vbi Sol occidit. Ex Sion species decoris eius, id est, locutus est Dominus, & vocauit terram ex Sion, quæ est species decoris eius, id est, ex Sion orta est prædicatio Euangelica, quæ est species decoris eius. Porro species decoris significat speciē pulcherrimam, siue perfectam pulchritudinē, vt magis sonant verba hebraica. Erat autem Hierusalem, iuxta priorem sensum, perfecti decoris, vt dicitur Thren. 1. quia erat ciuitas nobilissima, antiquissima, frequentissima, ornata sede regia, & pontificia, necnon tabernaculo, arca fœderis, & ceteris, quæ eam caput Religionis, & Regni faciebant: vnde etiam typus erat cœlestis, ac diuinæ ciuitatis. Sed, iuxta posteriorem sensum, erat Euangelica prædicatio perfecti decoris, quia continebat mysteria redemptionis, notitiā sanctissimæ Trinitatis, sacramēta efficacissima, legem perfectam, & innumerabilibus signis, & prodigiis comitata veniebat; atque audientes, & credentes renouabat, & iustificabat; & ex ima terra ad summum cœlorum exaltabat.

Deus manifestè veniet: Deus noster, III. & non silebit.

Hic iam prædicat secundum aduentum; quasi dicat, Deus Deorum venit, & vocauit terram, sed occultè venit, quia in forma serui, in humilitate, in mansuetudine, vt esset locus redemptioni per passionem, & mortem; sed postea manifestè veniet in potestate, & maiestate magna, non in præsepi speluncæ, sed in nubibus cœli; non cruci affixus inter latrones, sed in sede iudicis

M m 2

cum